



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Renvntiatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

RELIGIOSVS LOCVS.

Religiosus locus dicitur domus, monasterium, templum, hospitale, & quęcunq; alia loca auctoritate Papę vel episcopi ad pios vsus edificata. ca. de xenodochijs. de relig. domib. Secus quando sine tali auctoritate à principio sunt edificata, vel ex pōstfacto. canon. nemo. de conse. d. 1. quod est contra leges, quę volunt, q. vbiunq; aliquis tumulatur, locus ille fiat religiosus, quod verum nō est: per text. cap. fin. de sepultu. Vide ibi Panorm. quę loca religiosa ad humanos vsus redire non possunt. per c. ad hęc. de relig. do. & c. nulli. 12. q. 2. Et quando dubium est an sit cōstitutus auctoritate Episcopi, recurrendum est ad coniecturas: secundum Lud. de Ro. Si habet circumstantias loci prophane, est prophanus, quamuis celebrationi & orationi esset deputatus. Sil. ver. loca. q. 3.

RELIQVIA.

RELIQVIAE, & corpora sanctorū non debent exponi venialia, quod fit, dum vel accipitur pretiū verē, & tunc est simonia. c. qui studet. 1. q. 1. nō enim sacra, & religiosa sunt in dominio alicuius, vel quando passim causa quęstus, vt habeantur large oblationes, ostenduntur, hoc est enim quędam larga venditio: secundū Pan. cap. 2. cod. tit. Secus si hoc principaliter fiat ex deuotione. Nam præcipitur prælatis, ne permittant accedentes deuotionis causa decipi figmentis. ibi in eodem. c. 2.

² Nō licet aliquem pro sancto venari. neq; ad eum publicē preces emittere, & huiusmodi, etiam si miracula fecisset, sine licentia Papę. capit. ex eo. de reliq. & ven. sanct. secus in secreto: quia licet. supra. Colere, vel Canonizatio. §. 1. Et si fuerint sanctorum reliquię subtrahantur, vt etiam honorabilius reponantur, sacrilegium est. ca. quisquis. 17. q. 4.

³ Nō possunt transferri sine auctoritate Papę, vel Episcopi, vel synodochi. cap. corpora. de conse. d. 1. Intellige quando sunt data sepulturę perpe-

tue. Secus si essent deposita, vel adesset aliqua necessitas. Quomodo non possunt concidi, supra, Excommunicatio. §. 8.

⁴ Nō est illicitum reliquias sanctas portare super se cum reuerentia, & sine aliqua superstitione: secundum Th. secunda secundę q. 96. sicut & euangelium: licet quidam contrarium teneant, & malē, quia hoc non est prohibitum: quia c. corpora. de conse. d. 1. loquitur nō de reliquijs, sed de corporibus, quorum propriē sunt sepulchra.

RENVNTIATIO.

RENVNTIATIO officij, pastoralis ex his causis fieri potest, quę ponitur in c. nisi eū pridem. de renū. videlicet ex cōscientia criminis officij pastoralis impediētis, ex debilitate, vel infirmitate, vel senectute, ex quibus impotens redditur: ex defectu sciētiz, quando saltem non est cōpotens propter malitiam plebis, quando ex ouibus conuertuntur in lupos, propter graue scandalū, quod aliter sedari non potest, propter irregularitatem ipsius pastoris: non tamen propter omnem debet ei dari licentia. Ex his renuntiatio debet peti, & concedi, vt de meliori provideatur.

² RENVNTIATIO in beneficijs pure, & absolutē debet fieri. c. ex parte. el. 1. de offi. de leg. ita quod renūtiāns alicui beneficio, vel rei spiritali, vel resignans aliquod spirituale aliquo dato vel promisso, simoniam cōmittit: sec. Gofr. & alios: q. si hoc tantū mente intendit, sine actu exteriori, mentalis simonia est, quam nōn punit ecclesia, sed Deus cordium inspector.

³ RENVNTIANS beneficio, vt detur alteri, siue nepoti, siue non, sine aliquo pacto, sed sola intentione, nō committit simoniam, quia renūtiare, vt detur alteri, ideo simonia est: quia prohibitū iure positiuo, non autem prohibitum ex se, ideo nō debet deduci in pactum, vt alteri detur. cap. quān pio. 1. q. 1. Si tamen quis haberet voluntatē deducendi hoc in pactum, mortaliter peccaret mentali simonia. Similiter est simo-

simonia in datione, sicut in cessione, su-
pra, Beneficiū. §. 76. Renuntians liti su-
per beneficio ecclesiastico, vel spiritua-
li, aliquo temporali dato. simoniam
committit: secundum Panorm. in ca-
pitul. cum pridem de pactis. Dicit ta-
men Innoc. & Hosti. in cap. non sine.
de arb. quod valet compositio autho-
ritate superioris, & pro bono pacis, si
detur aliquod temporale ei, de quo
non est certum in iure, vel de iure sibi
competenti, ut cedat liti, vel renuntiet
iuri, si quod habet. Secus si fiat autho-
ritate tantum partium: quia simo-
nia est, supra, Beneficiū. §. 72. vsque
77.

4 S C I E N S e habere ius certū in ali-
quo beneficio ecclesiastico, habenti et-
iam annexā potestatem clauū, potest
dare pecuniam alteri, ut desistat a lite,
vel ut nō moueat super tali beneficio
litem: secundū Pa. in d. c. cum pridem.
Secus si non est certus, sed dubitat, nec
excusat autoritas Papę: quia videtur
data pecunia pro illa autoritate spiri-
tuali. Facit d. c. ex parte. In alijs autem
beneficijs bene excusaret autoritas
Papę, cum talis simonia solum sit de
iure positio: secundum glo. in d. cap.
cum pridem postet tamen iudex pro bo-
no pacis inter partes componere, ut ha-
beas ius det aliquid non habenti secun-
dum Pa. in c. super eo. de transacti. in-
frā, simonia §. 25.

5 Q V I D de eo, qui renuntiat benefi-
cio tenet, ut habeat pingue: supra, Be-
nificiū. §. 75. Episcopus, qui per simo-
niā intrauit, in mortis articulo: secun-
dum Host. renuntiet in manu episco-
pi, si potest, aliter simplicis sacerdotis,
sub conditione, si Papę placuerit, vel
ei ad quem pertinet collatio, & quam
primum conualuerit, ad illum se trā-
ferat, eiq; obediatur, nec moram faciat,
nec fructus sibi appropriet, sed custo-
diat eos, tantum vitę necessaria strictē
sumens. c. pasce, d. 86. si vult diaboli la-
queum vitare.

6 P A P A potest liberē resignare, prę-
sertim si se insufficientem ad regimen
vniuersalis ecclesię reperit. c. quoniā.
lib. 6, eod. tit. quantum pauci sepe-

riantur, qui hoc faciant.

7 E V M qui misit nuntium, ut renuntiet,
potest penitere quandiu res est inte-
gra. c. lecta eod. Secus si non est inte-
gra. ca. in causis de elect. Si verō nun-
tius fuerit ignorans de reuocatione, &
renuntiauerit, tenebit cessione facta, an-
tequam veniat ad eum reuocatio pen-
nitentis: ut in cle. eum illussio. eod. tit.
Qui verō licentiam cedendi impetra-
uit, cogendus est reddere. ca. quidam.
eod. ti. Concor. Host.

8 F I L I A renuntians hereditati pa-
ternę, & promittēs ampliūs nō pete-
re, nihilominus legitimā, vel eius sup-
plementū petere poterit, non obstante
etiam iuramento, nisi expressē de ipsa
dixerit. l. si quando. c. de. in offic. test. §.
generaliter, & ita intellige Inno.

9 C I E R I C V S renuntiare non potest
foro suo sine cōsensu episcopi, cui prę-
iudicaret. c. significasti. de fo. com. ne-
que illi priuilegio. c. si quis suadente.
17. q. 4. quāvis possit remittere actio-
nem iniurię quod ad propriam perso-
nā. c. si quis iniuriam, 23. q. 4. Qualiter
renuntiatio fieri debeat, Sil. ibi. q. 6.

10 A N exemptus possit exēptioni suę
renuntiare, supra, Exēptio, §. 8. Renun-
tatio sit illegitima, & ratione perso-
nę, quę renuntiare non potest, & ra-
tione rei non renuntiabilis. Vide Tā.
ver. renuntiatio. §. vlt.

R E P R E S A L I A E.

R epresaliae sunt quoddam genus
bell. ut cum datur potestas spo-
liato, ut sibi satisfaciatur contra gentem
de ciuitate spoliatiū. Ad hoc autem
quod sint licita, multa requiruntur.
Primō, quod ciuitas requiratur, ut
emendet, vel satisfaciatur pro suis, qui
tenentur, siue pro debito, siue pro rap-
tina, siue pro iniuria. Secundō, quod
constet de negligētia ciuiū, vel domi-
ni de iustitia administranda. Tertiō,
iudex prius det sententiā super negli-
gentiā, & iustitię defectu, ita quod
nullus dominus, vel ciuitas reperti-
tur, qui faciant iniustitiam, & qui con-
cedant auctoritatem faciendi repres-
alias. Quartō, quod non excedans
damnum, vel debitum. Quintō, quod